MICHAËLIS FERRVCCII

DE

PHILIPPI SCHIASSII

IN LATINE SCRIBENDO PRAESTANTIA

SERMO

HABITVS IN ACADEMIA PISANA

XVI · KAL · DEC · A · MDCCCLXVIII

QVVM DISCIPLINARVM STVDIA

SOLLEMNITER INSTAVRARENTVR

7.

Nos tanto viro orbati, eius memoriam tamquam antiquae rectitudinis exemplar pio animo repetimus, quo, si minus laudem, quam maximam adeptus est, consequi possumus, at saltem in hac tanta incuria bonarum artium quae plerosque tenet, ad praeclara capessenda et virtutem excitemur.

Car. Boucheronus de Thoma Valperga Calusio.

FERDINANDO RANALLIO

SVO

MICHAËL FERRVCCIVS

Non una de caussa, ubi primum huius sermunculi in lucem emittendi consilium cepi, eundem tibi, Ranalli mi suavissime, nuncupare constitui. Tu enim, quum abhinc complures annos, aetate atque ingenio florens, studiisque incensus politiorum litterarum, in quibus posthac adeo praestitisti, ut nemo magis, Bononiam venisses, meque pro tua liberalitate in amicitiam statim receptum domi quotidie ad multas horas inviseres, tu, inquam, iam inde perspexisti et testis nunc locupletissimus, si opus sit, esse potes, qui quantusque vir fuerit is, de quo scribere aggressus sum; cuiusque memoria quasi alterius parentis propter eximia illius in me promerita pie sancteque colenda mihi est, et quàm diligentissime servanda. Memini ego, nec tu itidem, credo, oblitus es, qui nihil oblivisci soles, nisi ἀμείνων in

te convicia, quum me aliquando Schiassius pro sua benignitate et consuetudine convenisset, tuque apud me forte esses, postquam singulari eius erga me comitate et scito suavique sermone mirifice te captum vidissem, nonnulla e Schiassianis scriptis, quae ad manum habebam, quum latina tum italica me tibi legenda tradidisse. Quae quum summopere tibi probata essent (qui enim aliter fieri poterat?), peramanter mihi gratulatus es, quod talem invenissem disciplinae meae auctorem, et tanta ille me complecteretur benevolentia, ut suorum consiliorum studiorumque participem, socium et adiutorem me sibi adsciscere non dubitaverit. Eodem prorsus loco, quo ego apud Schiassium, fuisti tu apud Paullum Costam (*), philosophum et poëtam cum primis comparandum; qui quanti te faceret, quàm te diligeret et quantam haberet de te exspectationem, quam brevi non solum implevisti, sed etiam longe multumque superasti, sciunt omnes qui illius ad te datas epistolas perlegerunt, disertissimas, ita vivam, et amoris notis insignes. Tu enimvero haud its multo post acerbissimum Costae obitum commentario de eius vita scriptisque evulgato quasi inferias et iusta magistro et amico egregio persolvisti. Serius ego quàm oportuerat (a cuius nimis longae cunctationis culpa sentio equidem me eximi haud facile posse), sed tandem aliquando sermonem, qui in maxima Schiassii laude versatur, exaravi, eumque memoris animi et gratae perpetuaeque meae in illum voluntatis quoddam testimonium in manus hominum pervenire exopto. Quum vero exoptem pariter ut veteris consuetudinis familiaritatisque nostrae testimonium aliquod palam publiceque maneat, hunc ipsum

sermonem, ut ab initio scripsi, quantuluscunque est, perlibenter tibi sisto dedicoque. Quem tu quin tanquam amicus ab amico sis excepturus, nec iniucundum et Schiassii caussa at mea tibi fuisse ostensurus, nihil dubito. Vale, meque, ut facis, amare perge.

(*) Quum Costa paucis horis ante, quam moreretur, adstanti sibi egregio discipulo significasset, se vehementer cupere, ut qui titulus sepulcro eius inscribendus esset, is a me fieret, prono quidem animo supremae amicissimi viri voluntati obsequutus, titulum, quem affabre sculptum monumentum, in Coemeterio Bononiensi honori eius dicatum, prae se fert, in haec verba composui.

PAVLLO · COSTAE

DOMO · RAVENNA · PATRICIA · NOBILITATE

PHILOSOPHO · ORATORI · POETAE

QVEM

ITALIA · GRAVISSIMIS · EDITIS · OPERIBVS

POTIORIS · DOCTRINAE · VINDICEM

DISCENDI · CVPIDA · IVVENTVS

AVCTOREM · STVDIORVM · OPTIMORVM

PERPETVO · HABVERVNT

AVDITORES · ET · AMICI

OB · PRAESTANTIAM · TANTI · VIRI · MON · FAC · CVR ·

DEC · XIII · KAL · IAN · A · M · DCCC · XXXVI ·

NAT · ANN · LXV ·

Quum exploratum mihi sit, Auditores, plerosque vestrûm esse, qui statim ut hodierno die ad nostra studia pro more a maioribus tradito instauranda orationem me ex hoc loco ad dicendum amplissimo, eamque latino usum sermone habiturum intellexerint, magnopere mirentur; iis, antequam dicere ingrediar, exponam breviter tum caussam, qua mihi huiusce officii onus contra ac ipse optabam et mea ingravescens aetas postulare videbatur, suscipiendum fuit, tum rationem, cur latinam italicae linguae praeferendam duxerim. Ego vix ac in Collegii nostri Philosophorum et Philologorum conventu, qui ineunte proximo mense Maio factus est, Sodalium meorum benigniore in me voluntate ac suffragiis, quamvis invitus et recusans, huic oratorio muneri obeundo sum delectus, quum me non fugeret amicum et collegam nostrum carissimum eundemque insignite pereruditum Paullum Marzolum tacite iamdiu percupere, ut sibi eae partes demandarentur, delatum mihi honorem de manu in manum, ut aiunt, universi Collegii assensu et approbatione volens volenti ita

tradidi, ut quod precario in beneficii locum ab eo petebam, is sibi per beneficium et gratiam concessum putaret. Adeo diligenter sancteque omnia urbanitatis et amicitiae officia ille servabat, tantique apud se esse ostendebat suscipere atque profiteri, de rebus ad gravissima studia pertinentibus, quibus unice iam delectabatur et clarissimam nominis famam quam late sibi pepererat, in huius diei locique celebritate se elocuturum. Eiusmodi autem illius fuisse de hac re opinionem, hoc iudicium, et plerique ex eo posthac audiverunt, et is mihi in familiaribus sermonibus collocutionibusque semel iterumque plane confirmavit. Quin etiam non mihi tantum, sed aliis quoque aperte asseverare prae se tulit, se cuius orationis habendae munus perlibenter recepisset, eam latine conscripturum; id Academiae, id Collegii nostri dignitatis esse, id gravissimam, quam ipse apud nos sustinebat, personam iure quodam suo poscere ac flagitare videri: latina enim lingua (mihi aiebat, intentis more suo oculis me intuens et repentino animi impetu vehementer commotus), latina lingua vetus possessio nostra est, eademque inexhaustus avitae sapientiae thesaurus: temere improvideque facere modo Italos, qui quasi alienam ac supervacaneam parvi pendant; confidere se, fore brevi ut qui publicae institutionis clavum tenent eiusque gubernacula tractant, meliora monenti pristinum ei decus, pristinum in scholis honorem restituendum curent. Haec tanquam cycnea mihi fuit praeclarissimi hominis optimique collegae vox; illum enim exinde non vidi amplius. Nam paucis diebus post eum sermonem, cuius, dum vita erit, nunquam obliviscar, acerbissimo morbo, quo iampridem conflictabatur, ad interitum subito gliscente, magno Italici nominis, nedum Academiae nostrae optimorumque studiorum detrimento

immature nobis abreptum deflevimus. Ex quo luctuosissimo casu quum ad illud officium pensumque necessario me revocari intelligerem, quod Marzolus rogatu meo, egregia animi alacritate, ut dixi, exceperat, ne id, quod mihi cum singulari fide benevolentiaque semel impositum fuerat, aut propter ignaviam abiicere, aut propter negligentiam deponere viderer, primum equidem, quod facile sibi persuadere quisque potest, amissi nuper eximii collegae laudes, sin minus pro dignitate, certe quidem quantum in me situm esset, hodierno sermone celebrandi consilium cepi. A quo ut mox desisterem, effecerunt doctae, ita vivam, et concinne eleganterque a duobus collegis nostris De Benedettio et Lasinio exaratae et in lucem emissae laudationes, quas quicunque legerit, praeclare quidem cum Marzolo actum arbitrabitur. Vtinam et iis laudationibus et maximis Marzoli nostri in litteras promeritis adducti qui municipio Pisano administrando praesunt, communibus tum amicorum collegarumque, tum eruditorum votis obsequuti, illius exsuviis in Coemeterio urbano condendis locum honoris caussa adsignent. Sed ut ad me redeam, quum animus meus distraheretur ancipiti cura deliberandi, quidnam aliud huic diei ac loco satis accommodatum afferrem, illa tandem omnem mihi ademit dubitationem, quasi nova lux insperanti oborta, cogitatio, me uno eodemque tempore et rem non inopportunam, nec vobis fortasse iniucundam facturum, et seriorem licet, quàm oportuisset, sed iustam tamen debitamque gratiam viro in primis magno relaturum, si de illo, qui non Bononiae tantum, ubi ortus est diuque floruit, sed cunctae Italiae ornamentum ac lumen fuit, quique eximia quadam benevolentia insignibusque in me beneficiis me, quantuluscunque sum, fecit esse, verba hodie fecero. Permulti vestrûm, Auditores, qui me studiorumque

674

meorum rationem norunt, vel me tacente, Philippi Schiassii nomen iam nominant. Vobis itaque, quotquot me benignis auribus audituri huc convenistis, consilium meum haud improbatum iri confido, quandoquidem neminem esse arbitror, qui aut illustrium virorum doctrinam virtutesque oblivione ac silentio obruendas, aut mihi, quod vivam magistri mei memoriam tenere pro viribus studeam, succensendum putet. Quum plurima tamen de Schiassio commemorari possint, quae quominus singula explicem, temporis ad dicendum dati angustias prohibeor, quod in illo ad unum omnes maxime suspexerunt; quodque summum profecto fuit ac singulare, exquisitam nempe latine scribendi elegantiam et copiam, de praecipuis eius latinis monumentis disserendo, laudare aggrediar. Hinc iam intelligitis, credo, Auditores, qua de caussa latine potius, quam italice, ut Marzolus ipse, si adhuc viveret, fecisset, vos alloqui constituerim. In quo si suscepti consilii gravitati dignitatique impar fuero, iuvabit tamen me ipsum praeceptoris amantissimi memoriae et nomini, in cuius laudes persequendas Schiassio laudatore opus fuisset, pro virili parte consuluisse.

Philippi Schiassii, qui honesto genere Bononiae prognatus est anno millesimo septingentesimo sexagesimo tertio, pueritia et adolescentia, quarum studia reliqua fere hominis vita conformari solet, in ea inciderunt tempora, quibus Bononia, quae semper doctrinae domicilium est habita, optimarum disciplinarum gloria, si unquam alias, explendescebat. Etenim praeter Archigymnasii scholas, de quibus iam inde a remotissima aetate fama ubique gentium percrebuerat, disciplinarum et artium Instituttum, ad publicum totius orbis usum (sic enim inscriptum olim legebatur in fronte magnificarum eiusdem Instituti aedium) ab Aloisio

C 7112.3 Cod. K

Ferdinando Marsilio conditum instructumque, a Benedicto XIV ditatum et auctum, et a compluribus viris patriciis Bononiensibus certatim muneribus exornatum, tota Europa adeo tunc celebrabatur, ut quicumque in eo docerent, vel inter Sodales Philosophos Marsilianos, vel inter Sodales Benedictinos eidem Instituto adiectos cooptati essent, omnium sermone et praeconiis tanquam sapientissimi commendarentur. Proxime et secundum Eustachium Manfredium, municipem meum, doctrinis pene omnibus ad miraculum eruditum, scriptoremque utraque lingua inter primos numerandum, magnam Bononiensi Instituto domi forisque existimationem comparaverat Franciscus Maria Zanottus octo illis Commentariorum voluminibus, quae triginta et amplius annorum spatio in vulgus emisit, quamdiu scilicet summi scribae ab actis munere perfunctus sedit in puppi, ut ipse aiebat, et artium disciplinarumque omnium tenuit gubernacula. Quibus sane voluminibus non solum Instituti historiam a primis initiis ad ultimum usque tempus produxit, et Marsilii auctoris summorumque virorum, per quos Institutum in tantum honoris ascendit, vitas et merita in oculis conspectuque omnium exposuit; sed de cunctis plane rebus, quae tum ad philosophiam, tum ad mathematicas et physicas res pertinent, ita commode et perite disseruit, ut omnem illarum pene infinitam vim ac materiam doctrinarum adsiduo usu perceptam cognitamque habuisse appareat. Permagnum hoc scilicet ac prorsus mirabile in Zanotto fuit: illud vero longe maius ac antea inauditum, petitisse eum doctrinis natura sua tam arduis, interdum etiam subobscuris, quaeque adeo difficiliores explicatus haberent, egregium latinitatis inusitatumque leporem, summam festivitatem venustatemque adiungere, ut nulla esset res neque tanta neque tam abstrusa neque

tam novo, cui uberrimae, elegantis, urbanae orationis suae lumen non adhiberet. Ea quum praestaret Zanottus facultate, non in commentariis modo, sed in ceteris omnibus, quae vel latina, vel italica, vel oratoria, vel poetica evulgabat, quis iam miretur tantam Bononiensium fuisse in illum observantiam, ut sicut aliquem de caelo delapsum intuerentur, colerent, eius scripta in manibus omnes haberent, ea philosophiae ac politioris humanitatis magistri studiosis adolescentibus, quorum gloriae ac dignitati favere vehementer cuperent, tanquam perutile regundae instituendaeque mentis et optime scribendi exempla proponerent? Illud Bononiensium litterarum ipsiusque adeo Bononiae praeclarum tempus cogitanti, et tantam docentium sollertiam discentiumque frequentiam et ardorem memoria repetenti, veterum Athenarum imaginem in ea urbe videre mihi videor, ut Zanottum non dubitem Isocrati comparare, cuius domus, ut inquit Tullius, cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi. Et Schiassius quidem, ut ad illum tandem veniamus, quum eloquentiae scholam adeunti Antonius Magnanius praeceptor obtigisset, cui in recte docendi arte par nemo tum Bononiae erat, incredibile dictu est quàm mirifica Zanottum imitandi cupiditate sit incensus: ad quod non tam natura ipse sua se impelli sentiebat, quàm quotidianis magistri hortationibus incitabatur, utpote qui nihil magis spectaret, quàm ut Zanottianus et haberetur et esset. Quanta vero Magnanii fuerit in iuventute erudienda sedulitas et excellentia, quanta in celebritate eius schola versaretur, quàm frugifera esset quantasque haberet eius disciplina opportunitates, luculenter more suo exposuit Schiassius in eo sermone, quem paucis ab eius obitu mensibus in Archigymnasio pronunciavit,

quum adolescentes nonnullos iurisprudentiae laurea exornaret. Quoties ego ipse Schiassium audivi Magnanii egregie in suos auditores promerita extollere, et quae scriptis de eo mandaverat, eadem viva voce confirmans, eius disciplinae praeceptiones acres, tempestivas, certissimi iudicii plenas, sive de unaquaque orationum specie, sive de variis poëseos generibus ageretur, idque tum latina lingua, tum italica, amplissimis verbis commendare. Sed locupletiores, quam Schiassii sententia, quantumvis gravis et praeclara, Magnanii in docendo praestantiae testes fuere tot insignes ex eius ludo viri, qui patriae difficillimis temporibus lumen animi, ingenii consiliique sui et scriptis et auctoritate ostenderunt; quorum non paucos iam senescentes habui ego iuvenis, quum Bononiae commorarer, vel studiorum meorum fautores, vel domestico usu aut aliquo necessitudinis vinculo coniunctos; testes vel hodie sunt Schiassii ipsius, quum ex ephebis nondum excessisset, in vulgus edita latinitatis specimina. Sunt enim eo stili nitore perscripta, iis leporibus veneribusque distincta, ut studiosum Zanotti imitatorem illico agnoscas; sic tamen ut eiusdem adstrictius, peracutum et artis plenum orationis genus non plane nec serviliter referat, sed expeditiorem uberioremque dicendi rationem ab aetatula illa sua eum iam affectare videatur. Hanc rationem ut timide primo, sed potius verecunde pro suo ingenio iniret Schiassius, non mediocris gloria effecit, quam adeptus erat philosophia omnique doctrinarum genere, tum vero latina italicaque eloquentia spectatissimus vir Aloisius Palcanus Bononiensis: cuius prae ceteris de vita Eustachii Zanotti commentarius latine conscriptus tanto eruditorum plausu, tanta approbatione ubique exceptus est, ut intra paucos a prima Bononiensi editione menses et Angelus Fabronius Academiae

nostrae Curator Pisis et Gaspar Garatonius Romae et Clementinus Vannettus Parmae, Palcanum summis laudibus ad caelum certatim efferentes, illum denuo evulgandum censuerint. Tum in eo commentario, quo nihil unquam se vidisse perfectius testatus est Garatonius, tum in ceteris quae longo studio meditata latineque exarata Palcanus protulit, brevitas quaedam inest Thucydidea, verbis elegantissimis, sententiis illustribus, quae tamen, nisi quid forte me fallit, operosi identidem laboris indicia ostendunt: ille enim, ut a nonnullis eius aequalibus auctoritate gravissimis accepimus, quum aliquid scriberet, nimium inquirens in se atque ipse sese observans sibi parum admodum placebat. Quae morositas illorum fere solet esse, qui germanae pulcritudinis speciem ac formam adsidue animo contemplantes, imperfectam eius ac vix adumbratam in suis scriptis effigiem sibi intueri videntur. Quapropter quum nec saepe, nec libenter ad scribendum se applicuerit, tantum sibi de fama apud posteros detraxit Palcanus, quantum imminuit alacritatis et industriae. Saepius e contra libentiusque publicis disputationibus vel interfuit vel praefuit, quae cum de universa philosophia, tum de physicis quibuscunque disciplinis magno apparatu, magnaque doctorum hominum frequentia, ut tunc erant mores, non Aristotelea ieiunitate, sed Platonica amplitudine latine instituî solebant. Illae nimirum fuerunt Palcani ingenii exercitationes, illud gloriosum eloquentiae quasi theatrum; quum nulla ibi proposita unquam res sit neque tanta neque tam improvisa neque tam recens, quam is apta gravique verborum volubilitate liberali actioni coniuncta non illustraret et audientium animos in sui admirationem raperet (magna enim semper fuit ubique gentium copiose sapienterque loquentis admiratio), et suavissima

voluptate devinciret, quum unus omnium ad dicendum instructissimus a natura esse videretur. Talis quum fuerit Palcanus, ecquis est qui non videat, illum, quamvis egregiam sibi famae commendationem latine scribendo comparaverit, maiorem tamen latina facundia de rebus explicatu difficillimis ex tempore disputando sibi comparasse? Prioris quidem laudis testimonia vel hodie supersunt et facile superarunt, quamdiu latinis litteris honos manebit: perpauca, non nego, sed numeris omnibus absoluta; alterius autem idonei indices fuerunt quicunque tunc Bononiae ad optima studia incumbebant: inter quos si primum locum Schiassio nostro concedam, nihil est quod verear, ne cuiquam praeconcepta in magistrum meum opinione permotus id fecisse videar. Ille quippe haec ipsa et complura alia, quae ad singularem Palcani eloquentiam comprobandam maxime pertinent, plenius in ea oratione illustravit, quam de eius laudibus ingenti universi consessus gratulatione et plausu habuit. Ex cuius orationis, liberalis enimvero et oratoriae, lectione sane agnoscitur non modo Zanottiani stili concinnitatem et acumen, sed Palcani etiam ex tempore dicentis gravitatem et magniloquentiam Schiassium sibi, quas in scriptis suis referret, sumpsisse; ut scilicet in se uno sapienter copulatas ostenderet illas virtutes, quibus singulis uterque eorum mirum in modum inter omnes eminuerant.

Fusius haec accuratiusque persequenda a me fuerunt, Auditores, ut quisque vestrum cognoscere facile possit, quos praecipue, post vetera illa aureae latinitatis exemplaria, recentiorum temporum scriptores sequutus ad tantam nominis claritudinem Schiassius pervenerit. Ad cuius laudis adeptionem quum multarum rerum scientiam sibi acquirendam esse perspiceret, incredibile dictu est quot disciplinis animum adiunxerit, quantum

operae laborisque in singulas addiscendas impenderit et quam uberem doctrinae fructum inde perceperit. Iam quum ad philosophiam et theologiam, quas calleat oportet quicunque sacerdotio initiandus est, tum ad litteras graecas et hebraicas, iurisprudentiam, mathesin, geographiam, nauticarum rerum scientiam, physicam, botanicen, archaeologiam studiosissima se applicuit. Adeo vero bonarum artium pulcritudine captus est, adeo animum earum cognitiona et intelligentia imbuit excoluitque, earumque historiae universae prudens adeo fuit, ut quum hac laude haud ulli secundus vulgo existimaretur, mature inter Sodales Clementinos consessores fuerit cooptatus. Quid quod et ad astronomiam toto pectore incubuit, quum Ioannes Baptista Guglielminus, is qui postea de Leonardo Fibonaccio Pisano doctum laboriosumque edidit librum, Instituti Marsiliani Astronomi munere fungeretur; quod Schiassius ipse testatus est, summa cum animi voluptate commemorans, se potissimum a Guglielmino socium adscitum fuisse ad ea capienda experimenta, quibus diurnus telluris motus, de quo Guglielminus libellum Romae sub ipso aetatis flore ediderat, comprobari posset. Itaque prope ad mensem, inquit Schiassius, singulis fere noctibus, quum aër et terra a quovis currum aliove motu quiescerent, turrim urbis maximam conscendebamus, atque ex eius summo vertice plumbeos globulos serico filo suspensos suo pondere casuros dimittebamus, ex quorum lapsu, quandoquidem proiectionis vis, quam in ea altitudine corpora concipiunt, innotesceret, telluris circum axem conversio multis probata rationibus, experientia quoque suffragante confirmaretur. Vt haec Schiassii verba afferrem binae me impulerunt caussae: prior ut specimen aliquod vobis exhiberem perspicuae nitidaeque orationis, qua

reconditas ille abstrusioresque doctrinas vestiebat; altera, ut constet, illum pro ingenii, quo flagrabat, discendi cupiditate omnes, quas dixi, disciplinas non primoribus tantum labris attigisse, sed ut penitus, quoad eius tam fieri poterat, perspectas haberet, summo studio contendisse. Videbat enim tot tantisque praesidiis se instructum esse oportere, ut primum inter alumnos, mox etiam inter Sodales philosophos Instituti cooptaretur, sibique haud mediocriter profuturum, si quorum in locum ac numerum pervenire vellet, ab iis ipsis illo loco ac numero nunquam intermissis doctrinae studiis dignus putaretur. Quorum plerique quum latino sermone, quo quisque poterat dictionis splendore et ornatu, uterentur, in id quoque totis viribus contendit, ut purae et candidae latinitatis laude, qua plurimum iam commendabatur, quidquid de naturalibus disciplinis scripto mandabat, quàm maxime praestabile esset. Qua quidem laude si prae ceteris non Italiae modo, sed totius Europae sapientium coetibus Bononiense Institutum diu inclaruisse affirmavero, a nemine obiurgandus mihi ipse videor, quod plus ei tribuerim, quàm res et veritas ipsa concedat. Nam ut de quamplurimis sileamus, qui celeberrimam illam disciplinarum et artium sedem hoc praecipue nomine ab eius primordio usque ad Schiassu aetatem illustraverant, mihi tunc ea ipsa laude antecellebant, praeter Palcanum, quem supra nominavimus, Iacobus Tazzius Biancanus, qui Archaeologiam primus omnium publice tradidit, et Aloisius Galvanus doctor anatomices et artis obstetriciae, cuius admirabili invento novis cognitionibus, novis ad maiora tentanda auxiliis aucta physica est, et Caietanus Laurentius Montius doctor botanices et historiae naturalis, idemque polyhistor supra quàm dici queat disertissimus, et Sebastianus Canterzanus Mathematicus

642

magni nominis, qui physicam perdiu docuit, dignusque omni ex parte habitus est qui in Instituti commentariis latine exarandis Zanotto succederet. Atqui non modo hisce omnibus, sed ceteris illis superioribus Schiassium ea facultate praestitisse, lucubrationes illae haud paucae, quas in publicis privatisque eiusdem Instituti conventibus habuit et divulgavit, satis superque, si quid indico, declarant. Mitto quod latini sermonis incorruptam integritatem, accuratam elegantiam, nitidam et dilucidam rerum expositionem adeo prae se ferunt, ut nihil possit ultra: mitto quod nulla usquam nec sententiarum nec verborum redundantia legentium animi offendantur: mitto quod omnia quae ei probando et explorando, quod semel propositum est, faciant, suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possint, opportune collocentur et quàm aptissimo nexu inter se cohaereant. Verum istae virtutes, equidem non inficiabor, quantumvis eximiae et magni prorsus faciendae, non ita tamen Schiassii propriae sunt, ut promiscue cum paucis communes non habeat. Haec enimvero, haec, inquam, propria fuit Schiassii mei in latine scribendo gloria, tota haec, quae certe maxima est, tota Schiassii fuit, ut ne minimi quidem artificii vestigia uspiam exstent, nihil non simplex, nihil non sincerum, nihil non perspicuum occurrat, et omnia tam naturali, tam ingenua suavitate sint enunciata, ut scribentis animus moresque in eius scriptis, tanquam in pellucido speculo, cerni videantur. Qua quidem virtute quum illius opera ad unum omnia, tum praecipue ii Sermones eniceant, quos haud ita brevi annorum spatio in Archigymnasio habuit, quum iurisprudentiae laurea iuvenes exornaturi essent. Ille enim quum propter egregiam famam, quae de eius doctrina late iam manaverat, anno millesimo octingentesimo tertio, quo Bononiense Institutum,

Archigymnasii forma accepta, novo gloriae genere auctum est, doctor Archaeologiae tradendae ex decreto Praesidis Reipublicae Italicae est renunciatus, confestim quoque in Iurisconsultorum Collegium adlectus est: recte namque Archaeologi, quemadmodum ipse ait, in Iurisconsultos censeri possunt, quippe qui in summa ac prope infinita rerum, quas perscrutandas illustrandasque sibi proponunt, multitudine ac varietate, et populorum mores et instituta et leges persequuntur: quumque plura Archaeologi in monumentis suis explanandis petant a Iurisconsultis, Iurisconsulti vicissim saepenumero in quaestionibus suis pertractandis petunt ab Archaeologis, et quod numorum singulis aetatibus pretium fuerit, et quae characterum dignoscendorum ratio et quae inscriptionum interpretatio, aliaque bene multa: ut quum disciplinae omnes necessitudine quadam teneantur, Iurisprudentia et Archaeologia arctioribus quasi vinculis obstringi dicendae sint. Et Iurisconsulti nimirum, Schiassii collegae, tum ingenti plausu, quo eius pereruditae disertaeque praelectiones a frequentissimis auditoribus excipiebantur, tum ipsa hominis dignitate permoti, munus fere semper ei detulerunt e superiore loco concionandi, quotiescunque in sollemni conventu, ut laudanda eorum temporum, Bononiae praesertim, consuetudo ferebat, adolescentes praescriptum studiorum curriculum iam emensi ac per legitima experimenta probati iurisprudentiae laurea rite donandi essent. Cui sane muneri officioque quàm splendide, quàm gnaviter quantoque non solum iuris studiosae iuventutis, sed etiam rei litterariae emolumento satisfecerit, agnoverunt aequales, agnoscent et posteri ex aureis illis Sermonibus in vulgus iam editis ad quinquaginta fere numero, de quibus superius diximus. Eos enim quicunque legent, postquam ab ipso statim initio quomdam sine ullo fuco

ingenuitatis colorem cum singulari et summa omnium prope disciplinarum litterarumque notitia iunctum suspexerint, apertum scriptoris pectus, ut dicitur, videre sibi videbuntur, et in eius amorem se ferri vehementissime sentient. Ubi vero de rebus grandioribus dicens, eas sonantibus verbis uberibusque sententiis magnifice adeo effert, ut res dictis plane exaequentur, tunc non suavissimum modo scriptorem amabunt, sed plenum perfectumque oratorem admirabuntur, quo nihil, ut inquit Cicero, in hominum genere rarius inveniri potest. Ego quidem quum unum aliquem ex iis magistri mei Sermonibus, occasione data, amicis legissem (compluribus autem legi), illosque admirabundos maxima perfundi voluptate et ex ea lectione conspexissem, non potui quin illud idem usurparem, quod Aeschines Rhodiis dixisse fertur, quum iis divinam perlegisset orationem, quae erat contra illum a Demosthene pro Ctesiphonte edita: Quanto magis admiraremini, si audissetis ipsum! Et revera ut Schiassius oratoria vi et facultate inter aequales eminuit, ita, dum sua pronunciabat, in vocis, qua una maxime vel commendatur vel sustinetur eloquentia, ad varios animi motus conformatione omnes facile superavit. Has singulares insignesque eius virtutes praedicarunt non Bononienses modo, sed quotquot per ea tempora in Italia florebant litterati viri; praedicavit prae ceteris italicorum scriptorum nostri aevi longe eloquentissimus Petrus Giordanius, qui quum in epistola quadam ad amicum suum Neapoli data magnum unicumque ex humaniorum litterarum studiis Schiassium aeque ac Canovam e sculptura nomen sibi acquisivisse asseverasset, privatum hoc, ut ita dicam, de eo iudicium luculentius publice confirmare minime dubitavit. Is nempe in extrema parte disertae orationis, quam de potissimis mansuraque picturae et

Digitized by Google

sculpturae gloria anno millesimo octingentesimo sexto Bononiae habuit, praeclarum hoc testimonium Schiassio impertivit, quod quum ipsis Giordani ad artifices verbis hic vobis recitem, nequeo continere: « *Ben io vorrei* « *colle parole precorrere a quello che voi farete;* « *vorrei numerare almeno gli argomenti delle vostre* « *opere, le calamità, i desiderii, le speranze del* « *genere umano, massimamente dell'Italia. E forse* « *l'oserei, se potessi sperare l'eloquenza di quel* « *sommo e modestissimo uomo, del quale, come di* « *raro ornamento, non la terra natale soltanto,* « *ma la nazione tutta e l'età nostra può gloriare* « *e ch'io nominerò, quantunque presente e ripu-* « *gnante,* Filippo Schiassi ». Iam vero si non excultum mitioribus doctrinis ingenium, sed cunctis gentibus omniumque saeculorum posteritati admirandam divinae prope mentis vim, illa rerum humanarum dominatrice fortuna ad maxima quaeque audenda et assequenda adiutam, spectemus, longe maiorem efficacis suae latinitatis praeconem paullo ante invenerat Schiassius Ver agebatur anni millesimi octingentesimi quinti, quum Napoleo Augustus, Gallorum Imperator pridem renunciatus, oblatis Regis Italiae insignibus Mediolani nuperrime susceptis, parti sibi novi regni provincias, populis undique acclamantibus, invisens, Bononiam laetitia gestientem festoque cultu magnifice exornatam triumphali pompa ingressus est. Celeberrima urbis vis, qua itur ad forum maximum et qua Imperatori Regi transeundum erat, omnium ora oculosque in se convertebat arcus, subitario opere exstructus, columnis tropaeisque ad speciem decoratus: prope hunc pegma extollebatur, unde chorus symphoniacorum confluentis populi plausibus quodammodo respondens suavissimos concentus edebat. In summo arcu, publicae tanquam

laetitiae publicorumque votorum interpres quaedam, prostabat haec grandibus litteris effcta inscriptio:

AGE · AGE

IMPERATOR · REX · MAGNE

NAPOLEO

TIBI · MVSICIS · MODIS

TIBI · FAVSTIS · ADCLAMATIONIBVS

PRAESENTIA · TVA · EXHILARATI

LAETA · ET · PROSPERA · CVNCTA · OMINAMVR

VALEAS · VINCAS

TOTI · ORBI · IMPERES

BELLI · PACISQVE · POTENS

In quam inscriptionem regiis chartis impressam sibique oblatam quum Napoleo ipse fulmineos oculos, contracto, ut solebat, supercilio, forte coniecisset, non mediocriter commoveri visus est; et continuo de eius auctore ab adstantibus sciscitatus, Schiassium illam in Bononiensi Archigymnasio Archaeologiae doctorem panxisse responsum ei est. Aderant postridie novum Italiae regem consalutaturi, praeeunte Rectore suo, Archigymnasii doctores universi: quos quum Napoleo satis benigno vultu excepisset, et comiter eorum aliquos appellasset, ad Schiassium demum conversus, et de inscriptione latini sermonis maiestate prorsus digna gratulatus, palam pollicitus est sese effecturum, ne Bononiensium omina, quibus adventum eius prosequebantur, irrita fierent. Iam inde fortasse proximum bellum, quod Imperatores Caesares Franciscus et Alexander icto in eum foedere communicatisque maximis exercitibus in Germania atque Italia paullo post compararunt, praesensione quadam, quae magnorum est ingeniorum, divinabat Napoleo. Iam inde fortasse spes illi nobilissimae victoriae ostentabatur, qua memorabili ad Austerlitzium

praelio sub eiusdem anni exitum utriusque copiis primo impetu profligatis, armisque brevi compositis, Italicum regnum Venetorum provincia amplratum est. Hanc porro victoriam at, quae illam excepit, Germanicam pacem quum Bononia pariter ac ceterae Italici regni Gallicique imperii civitates laetissimis omnis generis significationibus celebrasset, occasionem sibi ad novas condendas inscriptiones oblatam non praetermisit Schiassius: inter quas primum profecto locum obtinent fasti Regni Italici, quorum mirificam granditatem distincta, concisa, efficacique brevitate coniunctam perquam gloriosum illi fuit ab Ennio Quirino Visconte, a sapientissimo scilicet aequissimoque tum omnis antiquitatis, tum horum studiorum aestimatore ac iudice, singularibus verbis fuisse collaudatam. Quid quod et Morcellus ipse, clarissimus latinarum inscriptionum conficiendarum artis restitutor, idemque aurearum inscriptionum auctor, aperte atque ingenue confessus est, se in eo genere a Schiassio facile vinci; qui contra et voce et scripto fateri nunquam destitit, id unum propositum sibi fuisse, ut Morcellum, quoad sibi liceret, imitaretur. Ita et mutua existimatione et raro modestiae exemplo alter alteri palmam in difficillima palaestra libens deferebat. Quamvis locus me admonere videatur, Auditores, ut rationes diligentius explicem, quibus Morcellum a Schiassio in ea laude aliquando superatum fuisse arbitror, tamen ne vestra in me attente hac usque audiendo benignitate abutar, rem paucis absolvam affirmans, qua Zanotto et Palcano antecelluisse diximus virtute, naturali scilicet, sincera et nunquam fucata elegantia, eadem ipsum Morcello praestare interdum mihi videri. Id tamen minime reticendum putamus, hanc nempe Schiassii nostri titulorum simplicitatem et munditiam, quibus ad priscum leporem et Romanam

448

dignitatem quàm proxime accedit, dulcedine quadam perfusam laudibus in caelum extulisse praeter ceteros, et Morcellianis plerisque oratorum aliquid ac numerosum spirantibus, quo nihil ab huiusmodi litteris abhorret magis, omnino anteposuisse summum virum immortalitate dignum, Carolum Boucheronum. Qui sane in eadem scribendi ratione excellenter adeo et ipse versatus est, ut Morcelli et Schiassii vestigia ausus deserere, et ingenii iudicique sui viribus unice fretus, poëtica specie ac pompa persaepe adhibita, novam quodammodo viam aperuisse videatur. Et illi quidem, quum Bononiam semel iterumque per autumnales ferias advenisset, ibique per aliquot dies constitisset, nihil antiquius fuit, quàm ut Schiassium, quem iamdiu plurimi aestimabat, de facie nosset, inviseret, eruditosque cum eo sermones conferret: a quibus profecto sic semper abscessit, ut periucundo hominis omni humanitate et doctrina ornatissimi colloquio admodum delectatus, laetiorem nullum uberioremque ex sua peregrinatione fructum se cepisse, mihi saepe et coram et per litteras significaverit. Sed quid ultra provehor, de magistro meo loquens, de quo si cuncta velim praedicare, quae de eo praedicari merito quidem et iure possent, nullum prope finem inveniret oratio (*)? Priusquam tamen dicere desino, ab re haud fuerit commemorare, in tanta nominis doctrinaeque celebritate nunquam illum insolentius sese extulisse, et in iis omnibus, quae gessit scripsitque, publicam semper utilitatem privatis commodis potiorem habuisse.

Quare, optimi adolescentes (iam enim nunc sermo est mihi ad vos convertendus), date, quaeso, hoc vel officio vel etiam aetati meae, ut, amice ac benevole monentis et hortantis sumpta persona, e plurimis, quibus vir ille magnus, in aevum memorandus, enituit

virtutibus, duas praecipuas, quas modo attigi, modestiam, inquam, et perpetuam flagrantemque communi bono consulendi et de cunctis benemerendi voluntatem ad imitandum vobis proponam. Quantumvis licet in studiorum quisque vestrorum curriculo progrediamini, quantumvis licet condiscipulos vestros ingenio et discendi ardore et alacritate praecurratis, omnem, vos oro obtestorque, iactantiae speciem opinionemque effugite; et, si quando laudibus praemisque afficiemini (quod ut plerisque vestrûm contingat vehementer exoptamus), mementote, non tam re quàm spe laudari adolescentiam solere; mementote, rationem tum rite sapientiam nominari, quum diuturno studio, usu et exercitatione adolevit atque perfecta est. Iam vero non minus quàm iactantiam, vel ab isto vitae vestrae exordio, quam in magnarum artium disciplinis pro vestro quisque ingenio nuper agere instituistis, proiectam et effrenatam privatorum commodorum cupiditatem, quae fato nescio quo Italiae nostrae misero funestoque late iam dominari videtur, coërcete; et communis patriae caritate incensi spondete per sapientiam, quae hisce aedibus praesidet, vos Itahci nominis dignitatem et decus laboribus vigiliisque vestris perpetuo, quantum in vobis erit, amplificaturos. Turpe enim fuerit, ut Schiassii nostri verbis concludamus atque ita peroremus, avorum gloriam hereditate nobis transmissam atque in hunc usque diem retentam nepotibus negligentia nostra labefactatam relinquere

(*) Quum de Schiassii vita et scriptis, ut suscepto argumento inservirem, nec diutius quàm par erat Auditores demorarer, perpauca tantum in meo sermone attingere mihi licuerit, rem me facturum haud omnino inutilem existimavi, si coronidis loco [illegible] hic subiicerem, quod de eodem eximio viro

650

statim ob illius interitu (decessit Schiassius xv. Kal. Februar. anni MDCCCXXXXIII.) conscripsi, quem Genevae adhuc essem, Pisas brevi commigraturus, et Bononiam typis edendum misi, quo memorem beneficiorum animum erga magistrum de me tam insigniter meritum, et quantum ex tristissimo tantae iacturae nuntio ceperim moerorem, publice testarer. Est autem huiusmodi

PHILIPPVS · FRANCISCI · XAVERII

EX · MARTHA · ROVATTIA · F · SCHIASSIVS

DOMO · BONONIA

DOCTOR · THEOLOGVS

CANONICVS · TEMPLI · METROPOLITANI

DOCTOR · EMERITVS · ARCHAEOLOGIAE · TRADENDAE

IN · ARCHIGYMNASIO

ADLECTVS · IN · COLLEGIVM · PHILOSOPHORVM

ADLECTVS · INTER · SODALES · BENEDICTINOS

ACADEMIAE · SCIENTIARVM · INSTITVTI · BONONIENSIS

ADLECTVS · INTER · XXX · SODALES · ORDINIS · PRIMI

BONIS · ARTIBVS · EXCOLENDIS

INDEX · CLERICIS · PROBANDIS

RELIGIONIS · LITTERARVM · ET · PATRIAE

BONO · PROGNATVS · IN · EA · VRBE · QVAE

DOMVS · SEMPER · FVIT · DOCTRINAE · ATQVE

POTISSIMA · AVORVM · INSTITVTIONE · A · PRIMA

STATIM · AETATE · SEDVLO · ERVDITVS · HABVIT ETIAM · DOMESTICA · AD · IMITANDVM PROPOSITA · EXEMPLA · EGREGIAE · PIETATIS VETERIS · TEMPERANTIAE · INGENVI · PVDORIS APERTAE · HVMANITATIS · VIRTVTVM · OMNIVM

ATQVI · EX · EPHEBIS · VIX · EXCESSERAT QVVM · EIVS · INGENIVM · SIMVL · PERSPECTVM ET · PROBATVM · EST · NOVVMQVE · SVCCRESCENS CIVITATI · ORNAMENTVM · AC · LVMEN CONCORDI · GRATVLANTIVM · BONORVM · IVDICIO CONSALVTATVM

ET · ILLE · PROFECTO · SACRAM · MILITIAM VOLENS · LIBENSQVE · AMPLEXVS · QVVM · ET SANCTE · ET · SCITE · REVERENDI · MVNERIS PARTES · SIBI · EXPLENDAS · CENSVISSET QVVMQVE · NON · ELOQVENTIAE · PHILOSOPHIAE ET · THEOLOGIAE · SOLVM · SED · BONARVM QVOQVE · ARTIVM · ET · PHYSICARVM · RERVM SCIENTIA · ANIMVM · IMBVISSET · MAGISTRIS VSVS · ENIMVERO · DOCTISSIMIS · QVIBVS · EA MAXIME · TEMPESTATE · BONONIA · CELEBRABATVR PAREM · SE · ET · AVGVSTAE · RELIGIONI TVENDAE · ET · RECONDITIORIBVS · LITTERIS COGNOSCENDIS · EXPLICANDISQVE · MATVRE OSTENDIT

EVM · ITAQVE · GRAECAE · LINGVAE · RVDIMENTA EXPLANANTEM · COHORS · SVSPEXIT · ALVMNORVM IN · SPEM · ECCLESIAE · ADOLESCENTIVM EVM · SENATVS · BONONIENSIS · IN · DECVRIAM DOCTORVM · ARCHIGYMNASII · RETVLIT · AST ILLE · INTER · INGENTES · QVAE · SAECVLO SVPERIORE · EXEVNTE · FACTAE · SVNT · RERVM

652

ITALICARVM · CONVERSIONES · A · SAPIENTER INSTITVTA · VITA · MINIME · DEFLEXIT CONTINVIT · SE · IN · SVIS · PERENNIBVS STVDIIS · SIC · TAMEN · VT · GRAVESCENTIBVS IN · DIES · PVBLICIS · CALAMITATIBVS · IN ERVDITO · SECESSV · INGEMISCERET · NEQVE VLLA · PIETATIS · OFFICIA · DETRECTARET AVT · INTERMITTERET · QVIBVS · MAGISTRVM EVNDEMQVE · AMICVM · OPTIMVM · FLORIANVM MALVETIVM · PROSEQVI · SOLLEMNE · HABEBAT QVI · QVIDEM · QVVM · IN · IIS · CIVILIBVS FLVCTIBVS · VNA · CVM · MVLTIS · OBSES ABDVCERETVR ET · SENEX · ET · COECVS DISCIPVLVM · AMANTISSIMVM · VIAE · COMITEM IMO · VERO · PASSVVM · SVORVM · DVCEM · EST NACTVS

PROVEXIT · SCHIASSII · EXISTIMATIONEM PERHONORIFICVM DECRETVM·QVO·AVCTORIBVS REIPVBLICAE·ITALICAE·STVDIORVM·PRAEFECTIS VNVS · PRAECIPVE · DESIGNATVS · EST · QVI REM·ANTIQVARIAM·IN·RESTITVTO·BONONIENSI ARCHIGYMNASIO · PROFITERETVR · QVAM IACOBVS · TAZZIVS · BIANCANVS · PRIMVS OMNIVM·EX·CVNCTA·EVROPA·NEDVM·ITALIA DEINDE · MALVETIVS · EXIMIA · LAVDE · IN MARSILIANO · INSTITVTO · DOCVERANT

IN · QVO · FACILE · AB · IPSO · MAGISTERII INITIO · OMNIVM · CONSENSV · EXCELLVIT · IS NEMPE · QVVM · ET · INGENII · ACVMINE · ET SAPIENTIBVS · SENTENTIIS · GRAVIBVSQVE VERBIS · DISTINCTA · ORATIONE · EADEMQVE COPIOSA · NATIVI · LEPORIS · ELEGANTIAEQVE

LVMINIBVS · EXPLENDESCENTE · AC · PRO ARGVMENTI · VARIETATE · VARIA · NEDVM RERVM · IPSARVM · COGNITIONE · POLLERET TANTIS · INSVPER · SVMMA · PRVDENTIA INDVSTRIAQVE · COMPARATIS · OPIBVS · TACITA QVAEDAM ACCEDERET SVAVISSIMI ORIS · ET VIRGINALIS · VERECVNDIAE · COMMENDATIO AC · FLEXANIMA · PRONVNCIANDI FACVLTAS QVIS · IAM · MIRABITVR · EAM · FVISSE DOCENTIS · AVCTORITATEM · ET · GRATIAM · VT QVOTIES IN · PVBLICVM · E · SVPERIORE · LOCO DICTVRVS · PRODIRET · TOTIES · CONCVRSV AVDIENTIVM · VNDIQVE · FACTO · ET CIRCVMFVSAE CORONAE · MENTIBVS · CONTINVO PERMOTIS · PLAVSVS · VEL · AB · INVITIS ELICERET

QVA PORRO IN PATRIAM · CARITATE · ET STVDIOSORVM · VTILITATIS · PROMOVENDAE DESIDERIO EXARDESCEBAT · QVAQVE TENEBATVR IMPOSITI OFFICII · NAVITER · EXSEQVENDI SOLLICITVDINE · AC · PROPE · ANXIETATE · IN MVSEVM PARITER · DOCTRINAE · SVAE · TANTVM CVRAE · ET · COGITATIONIS · DERIVAVIT · VT SI · ILLVD · VRBIS · IVXTA · QVAM · ARCHIGYMNASII DIGNITATI · TVM · DENIQVE · RESPONDERE EST · VISVM · SI · ADOLESCENTIBVS · AD TAM · PRAECLARAM TAMQVE · FRVGIFERAM DISCIPLINAM · ADDISCENDAM · AVXILIO · NVNC EST · SI ERVDITOS · QVOSQVE · VIROS · SI INCOLAS · ADVENASQVE · OBLECTAMENTO AFFICIT · ATQVE · ADMIRATIONE · NEMO · EST QVI · SCHIASSIO · ID ACCEPTVM · REFERRI

DEBERE · NON · FATEATVR · NEMINEM · ENIM LATET · ILLO · VEL · INSTANTE · VEL · VT POTENTIORES ALII · APVD · RERVM · DOMINOS INSTARENT · PRO · VIRIBVS · SATAGENTE · MVSEI SEDES · AMPLIATAS · OMNIGENA · MONVMENTA POTIORI · ORDINE · COLLOCATA · ANNVAM PECVNIAM · AD · NOVA · COMPARANDA ADTRIBVTAM · EXCITATA · SAEPIVS · PRIVATORVM LIBERALITATE · AD · PRETIOSISSIMA · MVNERA LARGIENDA · QVAS · PRAETERITI · TEMPORIS RELIQVIAS · AVIDE · COMPLEXVS · ET · ACVTO CERTOQVE · IVDICIO · FRETVS ¦ · DIGNOSCENS SCRIPTIS · PLERASQVE · DECLARAVIT · AC CELEBRAVIT · SVIS

IAM VERO · QVANTOPERE PATRIAE SPLENDORI · ET EMOLVMENTO · INSERVIRET MANIFESTVS · PERSPECTVM · EST · QVVM EXIMIAE TOTIVS · ANTIQVITATIS ILLVSTRANDAE · PERITIA COLLECTAE DOMI · FORISQVE · GLORIAE · INSIGNEM ARCHIGYMNASII · REGVNDI · HONOREM · SEMEL ITERVMQVE ADIVNXIT · NIHIL · TVM ENIM SIBI PRAETERMITTENDVM · PVTAVIT · QVANTVM FACERE · ENITIQVE · POTVIT · QVIN SINGVLARVM DISCIPLINARVM · COMMODA · ADSERERET AVGERET · PRO · RECTA · STVDIORVM · RATIONE STRENVE · PROPVGNARET · ET · CELEBERRIMVM ILLVD · MVSARVM · DOMICILIVM · AB · OMNI DETRIMENTO · SINCERVM · INTEGRVMQVE · PER ADVERSA TEMPORVM · CVSTODIRET · VT NEQVE A · DOCTORIBVS NEQVE · A · DISCIPVLIS QVI · IN · ILLVM · VNVM · DEFIXOS · HABEBANT OCVLOS · OFFICIVM · VNQVAM · SVVM · DESIDERARI

SIT · PASSVS · NIHIL · DVRI · NIHIL · ACERBI · EI FVERIT QVOD · SVAE · ESSE · PERSONAE · QVOD PRAECONCEPTAE · DE · SE · SPEI · ATQVE EXSPECTATIONI · DEBERE · ARBITRARETVR

NEQVE · HIC RESTITIT · OTII · IMPATIENS ET · DE · CVNCTIS BENEMERENDI · CVPIDITATE MAGIS · MAGISQVE · IN · DIES · FLAGRANS CASTISSIMVM · PECTVS · TESTES · CEDRO DIONISSIMI · VTRAQVE · LINGVA · CONSCRIPTI SERMONES · QVIBVS · SIVE · STVDIIS · SOLLEMNI CONVENTV · INSTAVRANDIS · PRAEFARETVR SIVE · EOREGIOS · ADOLESCENTES · LEGITIMIS SAPIENTIAE · INSIGNIBVS · EXORNATOS · PALAM PRO · VETERI · CONSVETVDINE · RENVNCIARET NOBILISSIMOS · QVOS · VEL · ANTEACTIS AETATIBVS · VEL · NOSTRA · MEMORIA · BONONIA TVLIT · MVLTIPLICI · DOCTRINA · EXCELLENTES VIROS · PRO · MERITIS · LAVDAVIT · IMITANDOSQVE EXHIBVIT · ISQVE · FVIT · SEMPER · EIVSMODI ORATIONVM · EVENTVS · VT · CVM · MIRIFICA IVCVNDITATE · ACVLEOS · ETIAM · RELINQVERET IN · ANIMIS · EORVM · A · QVIBVS · ESSET AVDITVS · ET · QVORVM · PRAECIPVE · CAVSSA TALEM · PROVINCIAM · SVSCEPISSET

QVAE · LICET · MAXIMA · SINT · NEQVE VLLIVS · VNQVAM · VETVSTATIS · OBLIVIONE OBRVENDA · RE · TAMEN · NVLLA · MAGIS · APVD POSTEROS · SCHIASSII · VIGEBIT · MEMORIA CLARESCET · NOMEN · QVAM · SINGVLARI LATINARVM · CVIVSVIS · GENERIS · INSCRIPTIONVM CONFICIENDARVM · EXCELLENTIA · QVA · SI MINVS · VT QVIBVSDAM · VISVM · GRAVISSIMO

IPSI · EPIGRAPHICAE · ARTIS · RESTITVTORI MORCELLO · PALMAM · PRAERIPVIT · AT · PARCERTE · VNA · QVAE · EST · OMNIVM · SENTENTIA EXSTITIT · VIVENT · VIVENT · IN · AEVVM MANSVRI · QVOS . AD · TOT · MILLIA · CONDIDIT TITVLI · AVREVM · VNDIQVE · REFERENTES INCORRVPTAE · LATINITATIS · NITOREM · QVA MAGNILOQVENTIA · QVA · GERMANA · SIMPLICIQVE MVNDITIA · ADEO · COMMENDABILES · VT . NON RECENS · HOMO · ITALVS · SED · E · PRISCIS ILLIS · LATINIS · VNVS · ALIQVIS · EX · INFERIS EXCITATVS · EOS · PANXISSE · VIDEATVR

ILLE · TAMEN · TOTAM · HANC · SE · LAVDEM E · MORCELLI · PRAECEPTIS · EXEMPLISQVE HAVSISSE · PROFESSVS · ET · PROFITERI · GAVDENS CVIVS · DE · EPIGRAPHICA · RE · LIBRIS · NIHIL IN · EO · GENERE · DOCTIVS · NIHIL · ELEGANTIVS NEQVE · EXCOGITATVM · ANTEA · FVISSE · NEQVE PERFICI · VNQVAM · POSSE · AFFIRMABAT NOVVM · ET · IMPROBI · DIVTVRNIQVE · LABORIS OPVS · AGGREDI · MINIME · DVBITAVIT STVDIOSORVM · PRAESERTIM · SEQVVTVS VTILITATEM · NORMA · QVADAM · IISDEM PRAESCRIPTA · QVAE · IPSOS · EXCVRRERE · ALIO MALOSQVE · AD · FONTES · ACCEDERE · NON PATERETVR · CVI · QVIDEM · OPERI · QVVM ACERRIMA · SAGACITATE · DILIGENTI · SOLLERTIA MAGNIS · NEC · DETERRITVS · NEC · TARDATVS DIFFICVLTATIBVS · AD · VNGVEM · CASTIGATVM PERFECTVMQVE · COLLATA · AD · HOC · DE SVO · HAVD · EXIGVA · PECVNIA · IN · VVLGVS EMITTENDVM · IPSE · CVRASSET · NOSTRA

Digitized by Google

IMPENSISSIME · FAVIT · AETAS · FAVEBIT POSTERA

HIS PRAEFVLGENTEM · ANIMI · INGENIIQVE DOTIBVS · CARVM · HABEBANT · ATQVE OBSERVABANT · CIVES · VNIVERSI · EXTERORVM VERO · BONONIAM · ADVENTANTIVM · QVI LITTERIS · STVDENT · LITTERATISQVE · HOMINIBVS NEMO · FVIT · FERE · QVIN · SCHIASSIVM · DE FACIE · NOSCERE · CVM · EO · COLLOQVI · PETERET NEMO · QVIN · AB · ILLIVS · CONGRESSV DISCEDERET · INGENVA · CONSVETVDINIS DELINITVS · FESTIVITATE · ET · TOT · VIRTVTVM SPLENDORE · CAPTVS · INTER · QVAS · EMINEBAT MODESTIA · IN · TANTA · CLARITVDINE · PRORSVS ADMIRABILIS · VT · NVLLVM · EIVS · INSOLENS VERBVM · SIT · AVDITVM · NVLLVM · IN · EO SVPERCILIVM · ANIMADVERSVM · NVLLA GLORIAE · SITIS · NVLLA · AMBITIO · QVAE · NISI OBSTITISSENT · INVICTA · AD · AMPLISSIMOS HONORES · ITERATIS · INVITATIONIBVS · VOCATVM LAETA · LIBENS · ROMA · EXCEPISSET

COMIS · IDEM · MITIS · FACILIS · SINE · DOLO SINE · FVCO · NEMINI · VNQVAM · INFESTVS PERMVLTIS · CONTRA · SAEPE · VTILIS · EGENTIVM INOPIAE · ET · IMBECILLITATI · LANGVENTIVM PROPITIVS · EFFVSVS · IN · AMICOS · SVORVM SVPRA · QVAM · DICI · POSSIT · AMANTISSIMVS INSITA · QVADAM · OCVLORVM · HILARITATE ET · FESTIVITATE · SERMONIS · CVNCTOS · SIBI DEVINCIENS · ADSIDVO · PRAETEREA · ET QVOTIDIANO · LABORE · IAM · INDE · A · PVERO ADSVETVS · VT · NEC · OBREPENS · SENECTVS

NEC · CORPORIS · INFIRMITAS · QVAE · CAETEROS REMORARI · SOLENT · EIVS · MENTIS · VIRES RETARDAVERINT

QVID · DE · ILLIVS · RELIGIONE · AC · PIETATE COMMEMOREM · QVAS · SIC · PERPETVO · COLVIT VT · NIHIL · ANTIQVIVS · DVXERIT · APTAS · ERGO HABENS · A · DEO · SVSPENSASQVE · VITAE RATIONES · OMNIA · AD · DEVM · REFERRE CONSVEVERAT · IN · QVEM · QVANTO · AMORE RAPERETVR · NVNQVAM · MELIVS · APPAREBAT QVAM · QVVM · AVT · PRECIBVS · AVT · SACRO FACIVNDO · VACARET · TVM · SCILICET · EX VVLTV · EX · OCVLIS · EX · TOTO · CORPORIS HABITV · DE · CAELO · POTIVS · DELAPSVM ANGELVM · QVAM · HOMINEM · DIXISSES

GRAVI · PERMOLESTAQVE · AEGROTATIONE AD · OCTO · ANNOS · CONFLICTATVS · ET · QVO MINVS · PEDEM · DOMO · EFFERRET · PROHIBITVS SOLATORIS · VOCE · NVNQVAM · INDIGVIT CADVCARVM · RERVM · IAMPRIDEM · PERTAESVS DE · CAELESTI · PATRIA · TANQVAM · DE CONSTITVTA · LONGO · CVRRICVLO · META · ET PARATO · PRAVARVM · LIBIDINVM · VICTORIBVS TRIVMPHO · RECOGITABAT · CONSCRIBEBAT · ET CVM · SVIS · SAEPE · SERENA · FRONTE DISSEREBAT · AETERNI · AEVI · QVODDAM INITIVM · INTER · MORTALIS · NATVRAE AERVMNAS · ORDIRI · VISVS · NON · ADVENIENTIS NON · INSTANTIS · MORTIS · ADSPECTV · EXTERRITVS VTPOTE · QVI · CONSCIENTIA · BENE · ACTAE VITAE · MVLTORVMQVE · RECTE · FACTORVM RECORDATIONE · SVPREMO · ILLO · TEMPORE SVSTENTARETVR

SENSIT · BONONIA · QVANTVM · DECORIS SPLENDORISQVE · IN · VNIVS · VIRI · OBITV AMITTERET · ET · PVBLICIS · ILLVM · LACRIMIS PRAECONIISQVE · AC · MOESTO · DESIDERIO IN · IPSA · FVNERIS · POMPA · PROSEQVVTA EST · ITALIA · VNIVERSA · PARI · LVCTV COMPLORANTE · CVI · EGREGIAE · CIVITATIS TESTIFICATIONI · VELVT · CVMVLVS · ACCESSIT INSIGNE · SPLENDIDISSIMI · ORDINIS · NON PERROGATIS · DE · MORE · SENTENTIIS · SED CVNCTIS · ADCLAMANTIBVS · FACTVM · DECRETVM QVO · MAGNI · CIVIS · EXSVVIIS · MONVMENTI LOCVS · IN · SEDE · HONORATORVM · EST ADSIGNATVS

AT · O · ANIMA · CANDIDISSIMA · INCOMPARABILIS QVAE · DIVINO · BEATORVM · INSERTA · CONCILIO PACE · IAM · FRVERIS · SEMPITERNA · AGE · ROGO SI · QVAE · IN · TERRIS · AGENTI · FVIT · CVRA SEQVITVR · EADEM · IMMORTALIA · OBTINENTEM ILLVSTRIVM · MERITORVM · PRAEMIA · HOC · A DEO · OPTIMO · MAXIMO · ENIXIS · PRECIBVS CONTENDE · VT · QVOD · DETRIMENTI · EX ACERBISSIMO · TVO · INTERITV · ACCEPIT · PATRIA ILLVD · NOVA · GLORIA · QVAM · OCISSIME SARTVM · VIDEAT · VTQVE · EX · FLORENTI IVVENTVTIS · SOBOLE · NONNVLLI · EXSISTANT VTINAM · PLVRES · QVI · A · MAIORIBVS · PARTAE CLARISSIMAE · FAMAE · PATRIMONIVM · TANQVAM TVTORES · BONI · FIDELITER · SERVENT · FELICITER AMPLIFICENT · ME · AVTEM · QVEM · DISCIPLINAE TVAE · PRIMO · ALVMNVM · MOX · ETIAM LABORVM · VIGILIARVM · LVCVBRATIONVM

SOCIVM · ET · CONSILIORVM · PARTICIPEM HABVISTI · QVA · FERE · PATERNA · ME SEMPER · COMPLEXVS · ES · BENEVOLENTIA QVIQVE · TAM · LONGAE · ABSENTIAE · CONDITIONE ADSPECTV · ET · ADLOQVIO · TVO · SVAVISSIMO OCTO · ANNIS · ANTE · ORBATVM · ME VEHEMENTER · DOLEO · DOLEBO · DVM · VIVAM ME · RESPICE · VOLENS · DE · CAELO PRAESENTIORI · ME · NVNC · OPE · IVVA · ET · DVM TIBI · NEQVAQVAM · VIRTVTI · ET · INGENIO TVO · PAREM · AT · PRO · MEO · TAMEN · STVDIO MERITAM · GRATIAM · DEBITAMQVE · RELATVRVS TVOQVE · SACRO · CINERI · PIA · MENTE · QVASI INFERIAS · ET · IVSTA · PERSOLVTVRVS · DE TE · ACCVRATE · SCRIBERE · AGGREDIOR · ADSIS O · FAVEASQVE · MEDITANTI · VT · QVAM · IN CORDE · INSCVLPTAM · GERO · PVLCHERRIMI ANIMI · TVI · EFFIGIEM · EANDEM · LITTERARVM MONVMENTIS · EXPRESSAM · AGNOSCANT · CIVES EXTERIQVE · AGNOSCANT · COLLEGAE · AVDITORES AMICI · TVI · AGNOSCAT · ET · SERA · SI · TANTVM PER · ME · LICVERIT · POSTERITAS

PISIS
EX OFFICINA NISTRIANA
ANNO MDCCCLXX.

f. 20